



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXXIII. Vtrum ad sacramenta valide & fructuosè suscipienda, requiratur
consensus aut dispositio aliqua ex parte suscipientis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

effectus internos spirituales. Quia hoc euenit accidentaliter, atque in institutionibus vniuersalibus non habetur ratio de iis, quæ accidentaliter intercurrunt, dummodò subsistat finis principaliter intentus quoad substantiam, qui respectu sacramentorum est subuenire indigentibus per infusionem gratiæ. Deinde pueri cum peruenerint ad usum rationis, & amentes, si quando liberati fuerint ab amentia, possunt vtiliter instrui de significatione sacramenti, quod prius suscepere; siquidem fieri non potest vt ministratur sacramentum ab vllō ministro idoneo, qui non sit capax percipiendi significationem sacramentalem, & per consequens instruendi de eadem eum, cui illud ministrat.

Ad 3. Homines viatores, & Beati sunt capaces eorum omnium propter identitatem speciei, sed tantum remotè, propter diuersitatem specificam accidentium, quibus redduntur inhabiles proximè tum viatores ad plura, quæ insunt beatis, tum beati ad nonnulla viatorum propria bona, id est propria indigentium, qualia bona sunt sacramenta, vt constat ex omnibus huc vsque dictis circa ipsa.

Q V Æ S T I O XXXIII.

Virum ad Sacramenta validè, & fructuosè suscipienda requiratur consensus, aut dispositio aliqua ex parte suscipientis?

Videtur non requiri. 1. Quia aliqua sacramenta conferuntur validè, & cum fructu carentibus vsu rationis, vt patet ex vsu Ecclesiæ conferentis illis Baptismum, & non collaturæ infructuosè, & multò minus inualidè. Quapropter valorem, & vtilitatem Baptismi paruulis collati tuentur vnanimi consensu omnes Theologi cum D. Thoma q. 68. art. 9. & Hæreticos id negantes impugnatur fusè Bellarminus tom. 2. lib. 1. de Baptismo c. 8. Paruuli autem sunt incapaces naturaliter adhibendi consensum, & concipiendi dispositionem aliquam salutarem, neque constat de miraculo, quod nonnulli hæretici perperam comminiscuntur. Ergo non est de conceptu sacramenti validi, & fructuosi, seu formati, vt præsupponat, aut inueniat in suscipiente consensum vllum respectu ipsius sacramenti, aut dispositionem aliquam peculiarem respectu effectus eius.

2. Immo sacramentum potest esse validum, tametsi conferatur inuito. Quia Concil. Tol. 4. cap. 55. relatum cap. de Indis 45. dist. atque eatenus approbatum ab Innocentio III. in cap. maiores de Baptismo, definit Baptismum collatum inuito esse validum. Certè valere Baptismum, dummodò non adsit contraria voluntas, seu dissensus positivus, videtur clarissimè doceri ab Innocentio in illo capite his verbis: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contraria non inuenit obfisterem.* Et ibidem glossa affirmat validitatem Baptismi, necnon eius efficaciam in actu secundo; tametsi suscipiens corde dissentiat, dummodò consentiat ore. Consentit ex parte Caieranus dicta q. 68. art. 7. negans ad validitatem sacramenti requiri consensum positivum suscipientis, atque affirmans sufficere, si contraria in eo voluntas non adsit; atque idè Gentilem, qui nihil vnquam de Baptismo cogitavit, validè baptizari dormientem.

3. Omnia nouæ legis sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, id est independentè ab omni opere exhibito, seu à ministro, seu à suscipiente, cum perficitur sacramentum, atque adèd dependentè à solis operibus iam antè exhibitis, seu vt communi-

ter dicitur operatis à Christo Domino, prout stabilitum est q. 19. Nullum igitur opus requiritur ex parte suscipientis sacramentum, vt ipsum euadat validum, & fructuosum; atque vt requireretur consensus ad valorem; nulla tamen præterea necessaria est dispositio moralis positiva ad fructum, totumque effectum sacramenti.

4. Si ex defectu consensus, aut dispositionis ex parte suscipientis sacramenta euaderent nulla, aut infructuosa; talis consensus, aut dispositio pertinerent ad constitutionem intrinsecam sacramentorum, & essent pars essentialis ipsorum, vt patet ex discursu facto in re simili quæstione 6. circa intentionem ministri, de qua, & de consensu, seu dispositione suscipientis est eadem prorsus ratio, si eadem est vtriusque necessitas, vt sacramentum sit validum. Sequela autem est absurda, vt potè contradicens apertè doctrinæ Concilij Florentini in decreto Eugenij à quo, vt supra memoratum est quæst. 3. definitur tribus sacramenta perfici, materia, forma, & persona ministri cum intentione. Non ergo perficiuntur præterea consensu etiam, aut dispositione suscipientis, quod esset quantum, aduersus mentem Concilij.

5. Ex antiqua consuetudine Ecclesiæ conferitur sacramentum Extremæ vñctionis omnibus in vltimo vitæ periculo constitutis, tametsi petendo illud non sint, ob vsu rationis impeditum vi morbi; nec vllum antè signum dederint; dareue potuerint sacramenti desiderati; immò quin vllum illius desiderium conceperint, aut præsumi possit eos concepissem ob inopinatam morbi euentum. Videtur ergo esse communis Ecclesiæ sensus non requiri ad valorem sacramenti consensum vllum suscipientis, aut eiusdem dispositionem aliquam pro fructu eiusdem percipiendo.

Art. 1. Respondetur. Præsens controuersia non instituitur de paruulis, aliisque perpetuò amentibus, de quibus videlicet certum apud omnes est, ob ea, quæ præmissa sunt in prima ratione dubitandi, validè, & fructuosè ipsis impendi sacramentum saltem Baptismi; tametsi nullum per se consensum, aut dispositionem exhibeant. De adultis verò habentibus vsu rationis communis, & certa Theologorum sententia est, requiri consensum ipsorum positivum actualem, vel habitualem; seu aliquando habitum, saltem virtualiter, & implicite; & nunquam deinde retractatum. Ita docent, vno dempto Caiet. necnon Ledesina qui illi conueniunt, omnes Theologi cum Magistr. dist. 4. & cum D. Th. q. 68. art. 7. Colligitur clarè ex cit. cap. maiores §. item queritur, vbi Pontifex decernit sic: *Ille verò, qui nunquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem recipit sacramenti. Quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire. Quod est argumentum à fortiori, quasi diceret; Qui nunquam consensit, nec rem, nec effectum sacramenti recipit. Ergo multò minus ea recipit, qui receptioni eorum contradicit. Idem colligitur ex Concilio Carthag. 3. cap. 34. & ex Arausic. 1. can. 12. & docetur fusè, ac frequenter ab Augustino, vt refertur in cap. cum paruulis de consecrat. dist. 4.*

Art. 2. Ratio est; quia sacramenta omnia nouæ legis duplici summo genere continentur vt apparet ex dictis supra, præsertim quæstione 30. Alia namque sunt, quæ imprimunt characterem, & constituunt hominem permanentè in peculiari quodam statu, eiderque consequenter imponunt onera, & obligationes peculiare permanuras toto vitæ decursu. Huiusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo; eodemque, licet alio titulo, reuocatur sacramentum Matrimonij, quod similiter constituit permanentè in statu peculiari, & imponit onera, & obligationes peculiare proprias ipsius. Alia sacramenta solam impertiuntur gratiam sanctificantem, atque mutuantur

cum Deo amicitiam, vel simpliciter, vel quoad augmentum, eademque mediante, & non aliter, impertiantur insuper auxilia actualis gratiæ vnumquodque peculiaria in ordine ad finem suum. Huiusmodi sunt reliqua tria sacramenta, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema-unctio.

Art. 3. Connaturale autem est substantiæ compoti rationis, quatenus præditæ libero arbitrio, eiusdemque liberi arbitrij vñu, vt neque inducatur in peculiarem aliquem statum, atque in obligationes, & onera propria ipsius, nisi dependenter à suo libero consensu; necnon vt ineat amicitiam cum dispositione animi sui congruente officiis mutuis amicitabilibus, ipsique amicitie. Deus autem inouet vnumquodque mobile iuxta naturam, & exigentiam intrinsecam ipsius mobilis. Ergo Deus non impertitur homini iam compoti rationis effectus priorum illorum quatuor sacramentorum independentem ab eius consensu libero; nec effectus posteriorum trium sacramentorum independentem à præuia dispositione peculiari libera eiusdem. De qua ratiocinatione videri plura possunt q. 10. de iustificat. necnon q. 8. de virtut. Theolog. & q. 6. de act. hum.

Art. 4. Quia verò sacramenta, quæ nullum, cum perficiuntur, inducunt effectum suum in suscipientem, eo ipso euadunt nulla: concluditur Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium collata homini adulto compoti rationis euadere nulla, si non adsit in suscipiente consensus absolute liber respectu ipsorum; similiterque euadere nulla respectu eiusdem sacramenta Pœnitentiæ, & Extremæ-unctionis; si ultra consensum non superaddatur dispositio peculiaris congruens receptioni gratiæ sanctificantis. Excluditur autem ab ista illatione sacramentum Eucharistiæ, quia hoc sacramentum non consistit in vñu, sicut cetera sacramenta, ideoque perfici valide potest, nullo vñu suscipientis præexistente, aut consensu, aut dispositione peculiari. Ceterum huius quoque sacramenti susceptio euadit suo modo nulla, si non adsit in suscipiente dispositio eiusmodi peculiaris. Quia perinde nullum fructum parit, atque si non susciperetur re ipsa; dum suscipitur ab indposito, aut non disposito posituè.

Art. 5. Sufficit autem ex communi Theologorum sententia, eiusmodi, seu consensum, seu dispositionem extitisse aliquando, & nunquam deinde retractatum fuisse vsque ad instantis susceptionis sacramenti inclusionem; nec necesse est adesse actualiter in suscipiente aliquem actum, in quo virtualiter contineatur prædictus, seu consensus, seu dispositio; sicut necesse est, vt in ministro perficiente sacramentum adsit actualiter aliquis actus, in quo saltem virtualiter contineatur intentio legitima illud perficiendi, prout stabilitum est supra q. 15. Ratio discriminis est, quia minister est causa efficiens, & necesse est, vt intentio legitima ipsius sit causa vere influens in actionem, vel actiones exteriores, quibus perficitur ipsum sacramentum. Quod fieri non potest, quin actualiter adsit pro tunc, vel formaliter illa ipsa intentio, vel actus alius, in quo eadem implicite saltem, & virtualiter contineatur, vti ostensum est in illo loco. At suscipiens sacramentum se habet purè passiuè, neque quidquam exequi debet, in quod influat consensus, aut peculiaris dispositio ipsius; ideoque sufficit, vt habitualiter tantum vterlibet actus perseveret.

Art. 6. Sufficit similiter, vt consensus quem diximus requiri; sit virtualis tantum, & implicitus, quod itidem docet communis Theologorum omnium sententia. Quia videlicet præexistente vñcunque consensu, licet sit solum virtualis, & implicitus, aut etiam inuoluntarius, aut coactus secundum quid, non inducitur in nouum statum, nouaque obligationes, & onera.

R.P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

ra, independentem omninò à libera sua cooperatione, atque electione; idque solum necessarium esse conuincit ratio nuper à nobis proposita de necessitate dicti consensus. De dispositione autem præterea peculiari requisita, ratione gratiæ sanctificantis; propterea nihil necesse est dicere seorsim in præsentia, quia est dispar quoad alia, atque alia sacramenta; ideoque opportunius exponetur, dum dicetur de singulis sacramentis.

Ad 1. Conceditur Baptismum collatum paruulis valere, & operari perfectè totum suum effectum. Sed negatur paritas ex ipsis ad adultos compotes rationis. Quia compos rationis libera sua voluntate prouidere sibi potest; nec decet sapientiam, & suauem prouidentiam Dei, vt agat cum illo, permittatque alios agere nomine suo, tanquam cum substantia rationis experte, proptereaque penitus exposita libera dispositioni, ac directioni alterius cuiusquam. Cuius oppositum, propter directionis & electionis propriæ defectum, dicendum est de carentibus vñu rationis, ideoque substantibus vñliter, ac necessariò voluntati, ac liberæ determinationi aliorum, quoad ea, quæ minime nocent, sed profunt, vti profunt plurimum sacramenta.

Ad 2. Inuitus, & coactus dicitur dupliciter. Primò simpliciter, quasi nullo modo volens, aut omninò retinens; atque, qui hoc modo est inuitus, seu coactus respectu sacramenti, non recipit illud valide, quodcumque demum sacramentum sit: secundo dicitur inuitus, & coactus solum secundum quid, quatenus vult simpliciter, & secundum quid non vult, quia vult compulsus metu cadente in constantem virum, ideoque cum quadam quasi coactione; atque qui hoc modo est inuitus valide suscipit sacramentum, si nihil obstat aliud, vt dictum est supra; siquidem absolute consentit. De hoc secundo solum coactionis genere intelligendi sunt textus, quibus nititur obiectio. Certè Innocentius, cuius illa sententia videtur difficilior, iam prius dixerat ibidem solum defectum consensus irritare sacramentum. Vnde cum postea statuit valorem sacramenti, dummodò non adsit obex voluntatis contrariæ obstantis, nomine contrariæ voluntatis intelligit etiam purum defectum consensus. Vel dicatur in casu, ad quem respondet ibi Pontifex non dari medium inter consensum, & dissensum cum æquali vñuque defectu, ac præcisione. Quæsitum namque fuerat à Pontifice de valore baptismi collati inuito; qui proinde supponitur, vel habuisse verum, ac realem consensum, licet metu extortum, vel totaliter dissensisse. Quapropter non erat è re, vt Pontifex decerneret etiam de casu, in quo nec dissensus, nec assensus adesset vñus. Illa itaque opinatio Glossæ, & Caietani, nec probabilis est, nec tolerabilis.

Ad 3. Patet ex eadem illa quæst. 19. Dictum nimirum, si est, ideo sacramenta conferre gratiam ex opere operato, non quia nullum requiritur opus ex parte recipientis adulti: sed quia illam conferunt, vel nulla existente vi meritoria in opere eiusdem recipientis, vel cetera ultra mensuram virtutis meritorie, quæ illi inest.

Ad 4. Non quidquid requiritur ad valorem sacramenti, vñcunque ad illum requiratur, pertinet ad constitutionem intrinsecam ipsius sacramenti, sed quod requiritur directè, & immediatè ratione sui, vti obseruatum est in illa quæstione. 6. Consensus autem, atque dispositio suscipientis sacramentum requiritur ad valorem eius solum ratione effectus communicandi per sacramentum ipsi suscipienti, vt apparet ex ratione reddita supra ab artic. 2. cum intentio ministri non ea solum de causa requiratur, sed directè, & immediatè ratione ipsius sacramenti secundum se. Hoc pacto in agentibus etiam purè physicis

physicis, ac naturalibus, si quid requiratur ex parte ipsorum, ut agant, ideo ipso pertinet ad virtutem actiuam causae, illamque constituit intrinsecè; non tamen pertinet ad constitutionem eiusdem dispositionis passi congruens effectui producendo; licet deficiente ea dispositione perinde nihil efficere possit causa, quantumcumque secundum se completa. Adde intentionem ministri de perficiendo sacramento esse conditionem saltem virtualiter, & implicitè. Quia non vult omnino absolute conferre sacramentum, & eius effectum, sed si adsit dispositio sufficiens ex parte suscipientis. Unde, non subsistente ista dispositione, intentio ministri euadit nulla absolute, & perinde nihil operatur, atque si nullus omnino actus re ipsa extitisset intentius sacramenti, & effectus eius. Cuiusmodi nihil habet locum in agentibus pure physicis. Iam Florentinum in eo decreto solum agit de requisitis vniuersaliter ad valorem sacramenti respectu cuiusvis indiscriminatum suscipientis, atque adeo etiam respectu parui, cuius nullus requiritur consensus. Præterea non intendit exponere omnia utcumque requisita ad valorem sacramenti, alioquin expressisset, simul cum persona ministri, personam quoque suscipientis, quæ proculdubio requiritur. Solum igitur declarare voluit causam efficientem, atque intrinsecè constituentem adæquatè. Quo persona, & consensus, atque dispositio suscipientis minimè pertinent.

Ad 5. Patet satis ex art. 6. & patebit magis infra quæst. 100. art. 4. & q. 101.

QVÆSTIO XXXIV.

Utrum Sacramenta nouæ legis sint septem?

Videtur dicendum, esse plura vel pauciora. Quia si considerentur secundum genus, vel speciem subalternam duplici differentia continentur. Diuiduntur enim adæquatè in sacramenta viuorum, & mortuorum; necnon in sacramenta, quæ consistunt in usu, & in sacramentum, quod ex sua natura est permanens, nec consistit in usu. Si verò considerentur secundum speciem infimam, sunt plura, quàm septem. Quia sacramentum Eucharistiæ, quod est vnum ex septem communiter enumeratis, diuiditur rursus in duas species; nempe in sacramentum corporis Christi, & in sacramentum sanguinis Christi. Quorum vtrumlibet existere, & sacramentaliter operari potest separatum ab illo. Similiter sacramentum ordinis subdiuiditur in plures ordines specie distinctos, quorum singuli sunt totidem sacramenta valentia seorsim existere, & operari sacramentaliter. Si verò considerentur secundum numerum sunt tot, quin plura, ut patet.

Art. 1. Respondetur septenarius numerus sacramentorum nouæ legis est notissimus in Ecclesia, deriuatus ex traditione Apostolica, certus ex fide, & definitus expressè in Concilio Florentino a Eugenio IV. in decreto Vnionis, necnon à Trident. sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere qui sic habet: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino Nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quàm septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum non esse verè, & propriè sacramentum; anathema sit.*

Art. 2. An in istiusmodi definitionibus numerentur solæ species infimæ sacramentorum, an partim species infimæ, partim genera, seu species subalternæ, dissidetur inter Theologos, maxime modernos.

Quod dissidium mirum est, quod Tannerus ausus est dicere esse mere vocale; cum species infima, & genus, seu species subalterna differant, non solum voce tenus, sed re ipsa, propriisque definitionibus apud omnes, notissimis distinguantur, atque discernantur inuicem, atque inde præterea fieret, ut essent irritæ, certè essent leuissimæ, nulliusque re ipsa momenti definitiones prælatæ Conciliorum vsque adeo sedulo ab eis traditæ aduersus hæreticos. Subscribendum porro est Suarez, Cardinali de Lugo, & aliis apud ipsos dicentibus, contra Vasquez, Conink, & alios, prædictam sacramentorum diuisionem fieri secundum solas species infimas ipsorum. Quia iuxta oppositam sententiam æquè propriè, ac verè dici absolute, & sine addito posset sacramenta à Christo Domino instituta esse duo, & non plura, nec pauciora; nempe alterum viuorum, & alterum mortuorum; vel alterum permanens, alterum transiens, & consistens in usu. Quam sequelam meo quidem iudicio prædurè admittit Meracius. Quia qui affirmat aliqua esse septem, & nec plura, nec pauciora; eo ipso simul negat eadem esse duo, & nec plura, nec pauciora; cum duo sint pauciora, quàm septem, & plura hæc, quàm duo; atque hæc oppositio & impossibilitas affirmationum, & negationum est manifesta retenta vtrobiq; eadem numerandi ratione; vti certissime retinetur in præsentia iuxta oppositam sententiam. Vtrobique enim, iuxta illam, alterum numerationis extremum est species infima, alterum genus: Ne igitur contradicatur Concilii dicendum potius est sacramenta nouæ legis esse septem tantum secundum species infimas ipsorum.

Art. 3. Septenarius istum numerum sacramentorum esse conuenientissimum, adeoque obseruatum esse à Deo de facto, qui conuenientissimè omnia sua opera distribuit, persuadet optima ratione D. Thomas q. 65. art. 1. Quia videlicet sacramenta Ecclesiæ instituta sunt ad viuificandos spiritualiter homines, eosdemque promouendos in vita spiritali, ut dictum est superius; atque supernaturalia affinitate quadam conformantur naturalibus, & spiritalia corporalibus vnumquodque in proprio genere; vti colligi potest ex dictis supra q. 21. & communiter assumitur, ut certum à Theologis dicentibus passim ordinem supernaturalium imitari naturalem rerum ordinem cum mutua proportionem generis ad genus. In vita autem naturali, ac corporali quinque sunt vnicuique, secundum se præcise, ac absolute considerato, necessaria; & duo insuper alia relatiuè ad multitudinem, seu communitatem. Vnusquisque enim indiget positu, & per se tribus quibusdam, ut naturaliter viuat, & bene habeat quoad vitam naturalem, ac corporalem, nempe generatione, per quam incipit esse, & viuere; augmento, per quod perducitur ad magnitudinem, & ad perfectionem virtutis actiue congruentem humanæ naturæ, & nutritione, per quam conseruatur vita, & vigor agendi iam præhabitus. Indiget præterea aliis duobus per accidens, & ex suppositione nocimenti superuenientis, ut hoc remoueatur, nempe sanatione, quæ pristinam salutem ægrotanti restituat; & bonæ tractatione, quæ reliquias ægritudinis iam depulsiæ penitus auferat, atque salutem restitutam finaliter perficiat. Postremò relatiuè ad communitatem duobus vnusquisque indiget principaliter; nempe potestate iurisdictionis; quæ regere multitudinem possit, & exercere actus publicos; necnon virtute generatiua, per quam cooperari potest ad conseruationem communitatis, quæ quotidie atteritur, ac minuitur ratione mortalitatis humanæ.

Art. 4. Totidem igitur aliis opus habet vnusquisque secundum vitam spiritualement, ac supernaturalem; nempe Baptismo, per quem spiritualiter regeneratur iuxta illud ad Titum 3. 5. *per lauacrum regenerationis, &c.* Confirmatio